HOMERI RELIGIONIS

QUAE

AD BENE BEATEQUE VIVENDUM

HEROICIS TEMPORIBUS

FUERIT VIS.

DISPUTATIO

QUAM SCRIPSIT

JOHANNES FRIDERICUS FERDINANDUS

DELBRÜCK.

MAGDEBURGI,

SUMTIBUS GEORG. CHR. KEIL. MDCCLXXXXVII.

PRAEFATIO.

Multa eorum, quae Homerus de religione Deorum protulit, rationi non probari, apparet. Quaerendum eſt autem, utrum a vitae recta et honeſta inſtitutione tam abhorreant, quam leviter conſiderantibus rem videri poſſunt. Quo enim tempore Graeci de Diis, rebusque divinis omnia abſurda ſentiebant, in maximarumque rerum ignoratione verſabantur, eodem fidem colere, juſtitiam retinere didicerunt, communis commodi cauſa non ſolum labores, ſed etiam mortem excipiendam eſſe exiſtimaverunt, quid parentibus, liberis, amicis, patriae deberent, intellexerunt. Haec mihi mecum repu-

tanti placuit ſubtilius inveſtigare, quae heroicorum temporum vis fuerit religionis ad bene beateque vivendum. Itaque me contuli ad hanc diſputationem ſcribendam, eamque edidi tamquam ſpecimen, quod ſi viris doctis probetur, propoſitum eſt mihi, librum ſcribere, quo copioſius diſſeretur de moribus et omni vitae ratione, quam Homero teſte illa aetate Graeci ſecuti ſunt.

Non dubito, quin paſſim apud Homerum exſtent loca, quae non ſatis convenire videantur iis, quae diſputavimus. Mea autem opinio fert, de his rebus non diſceptandum eſſe e ſingulis locis, ſed ex omni horum carminum vi et indole. Cum v. c. Odyſſ. XIV. 445 de Jove dicitur: δύναται γὰρ ἅπαντα et Odyſſ. XX. 75 ὁ γάρ τ' εὖ οἶδεν ἅπαντα, temere inde conjicitur, Jovi ſummam potentiam, omniumque rerum ſcientiam tributam eſſe.

Ut de priſca religione, atque de conjunctione, quae inter ipſam et mores fuerit, recte ſentiamus, variae et diverſae de Diis pervulgatae et a vatibus celebratae fabulae colligendae et inter ſe comparandae ſunt, unde erui poſſint opiniones, quae hominum mentibus obverſatae ſint, eorumque animos occu-

paverint. Hoc me aſſecutum eſſe prae me fero; utrum conſecutus ſim aliorum ſit judicium.

Praeter Homeri carmina et Heſiodi neque veterum neque recentiorum ſcriptorum quemquam conſului. Quaecunque de antiqua theologia et mythologia apud alios legeram, eorum quantum id fieri potuit immemor, in tota hac quaeſtione unum ſecutus ſum Homerum, exiſtimans, aliter fieri non poſſe, ut vaticinae religioſitatis et ſanctitatis ſenſu intime imbuerer, eaque quae ſentirem ſubtiliter eloquerer. Quod quidem eo magis facere poſſe mihi viſus ſum, quod optimi poetae primam lectionem inſtitui optimo ejus interprete duce, illuſtri Wolfio. Ex quo mihi non amplius contigit, hujus viri conſuetudine uti, ejusque praelectionibus et ſermonibus intereſſe, omnem ſuam de carminum Homericorum origine, et compoſitione a diverſis auctoribus doctrinam in celebratiſſimis Prolegomenis expoſuit. Quae omnia quamquam vehementer approbo, tamen in hac diſputatione eorum rationem non habui. Licet enim, variae et diverſae rhapſodiae, e quibus Ilias et Odyſſea conflata eſt, non modo uni ingenio, ſed ne uni quidem ſeculo originem debeant,

manifeſtum tamen èſt, eorum, quae de rebus divinis contineant graviſſima quaeque ad heroica tempora pertinere, quippe quae complectitur haec diſſertatio.

Perlegens quae ſcripſi, intelligo, me pronunciaſſe, quae forſan melius tacuiſſem. Dum enim me Wolfii diſcipulum eſſe profiteor, lectorum exſpectationem quandam excitabo haud mediocrem, fore, ut proferam, quod illo nomine dignum ſit. Qua ne fallantur valde metuo. Attamen me malui Wolfii parum doctum diſcipulum praebere, quam ingratum, talisque mihi viderer, ſi hanc occaſionem amitterem, publice profitendi, me qualiscunque mihi ſit bonae antiquitatis notitia eam uni illi debere.

Scribebam Berolini, Menſe Aprili 1797.

Ferdinandus Delbrück.

Prooemium.

Quae homines ſentiunt de rebus divinis, conſtituunt religionem; quae ſentiunt de rebus honeſtis et utilibus, conſtituunt mores. Utramque rationem arctiſſimo quodam vinculo contineri, patet, ſiquidem hiſtoria teſte religio et mores ita reciprocantur, ut qualis religio, tales eſſe mores, quales mores, talis religio eſſe ſoleat.

Dubitari poteſt, utrum religio mores tamquam duces ſequatur, an mores religionem.

Id quidem apparet, homines, cum id agunt, ut cultum quendam condant, a ſe exordientes, Deos ſibi ſimiles fingere, neque alias virtutes iis tribuere, niſi quas in ſemet ipſis magni faciunt. Itaque merito dicitur, religionem moribus ſuperſtrui.

Poſtquam vero religiones conditae, ceremoniis et ſacrificiis ſolennibus exornatae, auctoritate majorum venerabiles factae ſunt, magna apud genus humanum

earum vis eſt ad pietatem, ſanctitatem, juſtitiam, fortitudinem, temperantiam.

Quae cum univerſe dici poſſunt, tum inprimis de Homero, quippe qui omnium vatum maxime ad vitam Graecorum permanavit, animosque hominum religione imbuit.

Itaque mihi propoſitum eſt, examinare utrum ex iis, quae Homerus de religione Deorum protulit, heroicis temporibus recte vivi potuerit, nec ne. Aut me amor rei ſuſceptae fallit, aut haec quaeſtio graviſſima eſt.

Duplex autem oritur quaeſtio, altera de honeſtate, altera de beatitudine. Id enim ab unaquaque religione ſapienter inſtituta poſtulari ſolet, ut homines impellat ad prudenter, juſte, temperanter vivendum, deinde ut eadem nos ſorte nobis oblata contentos faciat, metumque mortis tollat.

Duae igitur erunt diſputationis meae partes.

Atque cum omnis honeſtas e quatuor virtutum exſiſtat aliqua, e prudentia, aut fortitudine, aut temperantia, aut juſtitia: prioris partis quatuor erunt capita.

Pars prior.

De honeſtate

Caput primum.

De prudentia.

Prudentiam appellare ſolemus eam virtutem, quae homines ad vitae actionem impellit, ut conſilio et ratione diligenter adhibita, graviter et fortiter agant, quaecunque ad bene beateque vivendum pertinent, ut rem publicam tractent, rem familiarem tueântur, ſuam ſuorumque ſalutem curent. Magnam religionum eſſe vim ad illam virtutem, vitae communis exempla docent.

Sunt enim religiones, quae animum ab hujus vitae rebus abjectis et humilibus ad coeleſtia et elatiora, quae poſt mortem futura ſunt, avocantes, reddunt homines in officiis colendis ſocordes et ignavos.

Sunt aliae, quae, diis immortalibus nimiam rebus humanis adhibitam vim tribuentes, omnem fere ἐνέργειαν, quae dicitur, tollunt, hominesque in ſervorum miſeram conditionem detrudunt, qui quaecunque agant ad dominorum nutum agere debent. Prius illud non cadere in poeticam Homeri religionem, patet,

quippe quae animos hominum ad id ſolum, quod adeſt, quod ſenſus movet, intentos facit, plane incurioſa eorum, quae remota ab humani generis communi cognitione neque aures neque oculos afficiunt.

Utrum poſterius in eam cadat, dubitari poteſt.

Cum enim apud Homerum legamus, omnia vitae proſpera et miſera, omnes quoque animi et corporis virtutes homines a Diis habere; Achillem jaculandi, qua excellebat, artem Diis debere, [a]) Ulyſſem ſapientiam, qua praeſtabat, a Minerva accepiſſe [b]), hanc ipſam MInervam Telemacho, cum os ad loquendum aperiret, verba ſuggerere, [c]) Penelopam pro lubitu ſopire et expergefacere, [d]) ejusque formam, aut minuere aut augere, [e]) Jovem etiam lapidem ab Hectore arreptum levare, [f]) Muſas in poetis cantus movere, ſicuti muſici in tibiis [g]): nonne judicabis, ejusmodi Deorum gubernatione omnem vitae actionem tolli, Deosque hominibus tamquam inſtrumentis uti?

---

a) Il. I. 290.
b) Il. X. 245.
c) Odyſſ. III. 77.
d) ibid. XVIII. 186.
e) ibid. XVIII. 190.
f) Il. XII. 450.
g) Il. II. 484. Odyſſ. I. 345.

Attamen mea quidem opinio fert, Deos hominibus non intulisse tantam vim, quam rem leviter considerantibus videri potest.

Rem paulo altius petamus, atque qualis fuerit Deorum poeticorum providentia, accuratius examinemus.

Primo: Dii non ita administrant res humanas, ut totam rerum et eventuum seriem mente provida complectantur, praeteritis praesentia, praesentibus futura annectentes, sed ita, ut singulis eventibus fortuitis intersint.

Providentia divina, quae universi populi aut unius modo hominis totam vitam prospiciens singulae quaeque ordinet et instituat, Homero non venit in mentem. h)

Quid enim? Dii nonne ad similitudinem hominum fingebantur? Atqui Homeri tempore Graeci phantasiam magis et sensus quam rationem in vita degenda secuti sunt. Quamdiu autem homines phantasia duce utuntur, non possunt consecutiones rerum praevidere, quid quamque rem antecedat et sequatur, comprehendere.

Geographi narrant, esse in remotis terris hominum genus, qui in maximis vitae tenebris errantes ne in unum quidem diem sibi consulant, ita ut strata, quibus

---

h) Haec erat celeberrimini Woodii sententia: Versuch über das Originalgenie des Homer pag. 156.

tecti cubare ſoleant, mane vendant, imprudentes, ſibi noctu iis denuo opus fore.

Graeci, quamquam Homeri tempore e tali tantoque ſtupore expergefacti erant, tamen ratione admodum infirma uſi ſunt, id quod e totius eorum vitae inſtitutione apparet.

Qua igitur ipſi deſtituti erant, prudentia, non potuerunt eam Diis tribuere; ſcilicet qualibus Diis? Qui non poſſent niſi ubi adeſſent agere, qui diſſidiis, ira, libidine diſtracti, inconſtantia et levitate laborarent. Dum Jupiter ſomno, aut amori, aut vino deditus omnium rerum oblivia capiebat, nonne nequiſſimus et improbiſſimus quisque conſilia ejus quantumvis ſapienter inſtituta, irrita facere potuit?

In ejusmodi Deos talis providentia, qualem nos noſtro Deo tribuimus, nullo modo cadere poteſt.

Quae conjectura aſſecuti ſumus, videamus, utrum Homerus ea confirmet.

Tota rerum et eventuum ſeries, quam Ilias complectitur, num a Jovis mente provida ordinata erat? Minime. Tantarum calamitatum una cauſa erat ira, qua Achilles in Agamemnonem exarſit. i) Praeclariſſimi igitur cujusque interitus, tot pugnarum, proeliorum, cladium, quae intra quadraginta circiter dies acciderant,

---

i) Il. I. 510.

Jupiter ignarus fuit, cum ad Aethiopes coenatum iſſet. Atque cum poſt reditum in Olympum, k) re a Thetide audita, Achillis ultionem annuiſſet, reliquorum Deorum multis invitis, quid faciunt hi, ut ei obſtent? Num futura cogitatione praecipiunt? quid in utramque partem accidere poſſit, ſecum reputant? Minime. Singula quaeque, quae evenerunt, animadvertunt, interſunt proeliorum tumultui, ignavos adhortantur, fortes urgent. Jupiter lapidem ab Hectore arreptum levat, l) Juno Stentoris vocem et vultum gerens ſuos ſtimulat. m)

Minervam comitemur, Ulyſſi opem ferentem ad procos caedendos.

Primo deſcendit in Ithacam, juvenis pulcherrima forma induta, quae mox in venuſtam puellam transmutatur. n) Exprobranti Ulyſſi, quod tamdiu ipſi defuerit, neque prius advenerit, quam cum apud Phaeaces eſſet, ſe excuſat o) Dea, quod a Neptuno impedita eſſet, quo minus ipſi opem ferret. p)

Deinde deliberant, quid faciendum ſit ad ſponſos et numero et improbitate validos caedendos. q) Inter

---

k) Il. I. 425.
l) Il. XII. 450.
m) Il. V. 785
n) Odyſſ. XIII. 222.
o) ibid. 315.
p) ibid. 340.
q) ibid. 375.

hoc consilium captum et peractum triduum est interjectum. Ne eo quidem usque prospicit Minerva, atque quae intra tam breve temporis intervallum coacerventur funera, nunc demum decernitur. Ne nunc quidem. Id solum mandat Minerva Ulyssi, ut, dum ipsa Spartam petat, mendici speciem prae se ferens ad Eumaeum eat. Reliqua se dabunt — Minerva secum cogitare videtur, atque profecto se dant, quamquam nil fere praeparat, quo ad finem propositum perveniri possit.

Quotiescunque autem eximium aliquid efficiendum est, Dea opem ferens appropinquat.

Agitur id, ut Ulysses a filio agnoscatur?

Ἦ, καὶ χρυσείῃ ῥάβδῳ ἐπεμάσσατ' Ἀθήνη.
Φᾶρος μέν οἱ πρῶτον εὔπλυνὲς ἠδὲ χιτῶνα
θῆκ' ἀμφὶ στήθεσσι· δέμας δ' ὤφελλε καὶ ἥβην
ἂψ δὲ μελαγχροιὴς γένετο, γναθμοὶ δὲ τάνυσθεν·
κυάνεαι δ' ἐγένοντο ἐθειράδες ἀμφὶ γένειον.
ἡ μὲν ἄρ' ὣς ἔρξασα, πάλιν κίεν. r)

ut Telemachus in concione honoratus et splendidus fiat?

θεσπεσίην δ' ἄρα τῷ γε χάριν κατέχευεν Ἀθήνη. s)

---

r) Odyss. XVI. 172 — 177.
s) ibid. II. 12.

ut Penelopa juvenum amorem denuo excitet?

Τῇ δ' ἄῤ ἐπὶ φρεσὶ θῆκε θεὰ γλαυκῶπις Ἀθήνη
κούρῃ Ἰκαρίοιο, περίφρονι Πηνελοπείῃ,
μνηστήρεσσι φανῆναι. t)

ut Ulyffes majori in fponfos exardescat ira?

Μνηστῆρας δ' οὐ πάμπαν ἀγήνορας εἶα Ἀθήνη
λώβης ἴσχεσθαι θυμαλγέος, ὄφῤ ἔτι μᾶλλον
δύη ἄχος κραδίην Λαερτιάδεω Ὀδυσῆος. u)

ut eidem Uyffi vigiliis et moerore confecto folatium afferatur?

σχεδόθεν δέ οἱ ἦλθεν Ἀθήνη
οὐρανόθεν καταβᾶσα. v)

ut Penelopa ad totam rem peragendam juvenibus certamen proponat?

Τῇ δ' ἄῤ ἐπὶ φρεσὶ θῆκε θεὰ γλαυκῶπις Ἀθήνη
κούρῃ Ἰκαρίοιο, περίφρονι Πηνελοπείῃ,
τόξον μνηστήρεσσι θέμεν πολιόν τε σίδηρον. w)

Providentiam Deorum non modo vitae fed ne unius quidem eventus univerfitati confuluiffe, et non nifi ad fingulas res pertinuiffe oftendimus. Confequitur, ut

t) Odyff. XVIII. 157 — 159.
u) ibid. 345 — 347.
v) ibid. XX. 30.
w) ibid. XXI. 1 — 3.

oftendamus, ne conftantem quidem et perpetuam, fed intermiffam fuiffe. Hoc inde patet, quod Dii non poffunt nifi ubi adfunt agere. Iupiter, ut cognofcat, quae fiant in arvis Trojanis, illuc defpiciat neceffe eft. Aliquando cum ad Thraciam oculos detorfiffet, x) Neptunus hac occfione ufus eft, ut ipfo invito Graecis opem ferret. Perfuafum enim fibi habebat, Jovem nihil eorum, quae faceret, animadverfurum effe. Neptunus ipfe amififfet occafionem illam nifi quod poeta longe narrat, in Samo monte confediffet, unde Graecorum naves, Priamique urbem confpicere poffet.

Haec eft caufa, cur Dii, qui leviffimis rebus interfunt, graviffimarum rerum faepe ignari fint, atque cur faepiffime apud Homerum legamus, hoc vel invitis Diis eveniffet, nifi quis Deorum id ipfo temporis articulo animadvertiffet. y)

Dixi de providentia Deorum, qualis fit. Reftat, ut nonnulla adjiciam de divinatione, quae quodammodo cum providentia eft conjuncta.

Nihil eft, quod in Veterum religionibus magis reprehendendum videtur, quam divinatio. Quid enim homine indignius eft, quam in confiliis capiendis non adhibere rationem, fed exta infpicere, avium volatum

x) Il. XIII. 3.
y) Il. VIII. 132.

latum obſervare, ſomniantium et furentium voces audire.

Equidem non infitiabor, divinationem eo tempore, quo Graeci magis culti eſſent, ſaepe iis perniciosam fuiſſe, idem vero ego contendo, heroicis temporibus eam vitae recte et conſulto agendae non modo obſeciſſe, ſed etiam profeciſſe.

Rudibus enim et incultis hominibus, cum in rebus agendis raro admodum rationem adhibeant, ſed animi impetus ſequi ſoleant, quid tandem damni e divinatione exiſtere poteſt? Quid enim intereſt, utrum homini repentinis quibusdam animi commotionibus incitato pareas, an divinatione inflato; utrum verba hominis ira, libidine, aliis perturbationibus inflammati audias, an voces, quae dicuntur omina?

Hoc enim ipſum principium omnis divinationis, apud tot nationes celebratae, eſſe videtur, quod indocti et inculti homines deliberandi examinandique laborem fugientes avide arripiunt, quaecunque (ſive ſit avis aut ſiniſtrorſum aut dextrorſum volans, ſive vox emiſſa) dubia tollere, trepidantique alacritatem animi adjicere poſſint.

Quod ad Homerum: duo apud hunc exſtant praeſignificationum genera, alterum earum, quas unusquisque ſubito et ex tempore explicare poteſt, alterum earum, quae ſine artificioſa interpretatione intelligi non poſſunt.

Prioris generis eſt ros ſangvine atratus z) quo fundendo Jupiter multorum et praeclariſſimorum virorum interitum denunciat; deinde tonitrus, quo idem Iupiter preces Neſtoris excipit a) etiam ſternutamentum Telemachi b) et nervus reſonans arcus Ulyſſis. c)

Ejusmodi ominibus, quae ſaepe a Diis petebantur, cum quid faciendum eſſet, homines dubitarent, conſultatio non erat ſublata. Plerumque enim res perpropinquas ſignificabant; etiam plane diverſe explicari poterant. Nullum fere, quod memini, apud Homerum exſtat exemplum, quod quis ejusmodi omine territus conſilium captum abjecerit; multa vero occurrunt, unde patet, homines quod ſecum ſtatuerint tum majori ardore proſecutos eſſe, cum Deorum auctoritate confirmatum eſſet. Ulyſſi de ſalute deſperanti denuo animus adjicitur tonitrus murmure et molentis mulieris fauſtis ominibus d).

Alterius generis praeſignificationes, quae ſine artificioſa interpretatione intelligi non poſſunt, hae

---

z) Il. XI. 53.
a) Il. XVII. 377.
b) Odyſſ. XVII. 541.
c) ibid. XXI. 442.
d) ibid. XX. 100

ſunt: portenta e) avium volatus f) ſomnia, g) vaticinia. h)

Erant, qui a Diis artem ex ejusmodi ſignis futura praeſentiendi accepiſſe putabantur, ut Calchas, Polydamas, Merops, Ennomus, Helenus, Theoclymenus, alii.

Hos viros non ſolum furore quodam divino, ſed etiam prudentia reliquis praeſtitiſſe, patet e verſu quodam memoratu digniſſimo, quo Calchas dicitur:

ὃς ᾔδη τά τ' ἐόντα, τά τ' ἐσσόμενα, πρό τ' ἐόντα,
καὶ νήεσσ' ἡγήσατ' Ἀχαιῶν Ἴλιον εἴσω
ἣν διὰ μαντοσύνην, τήν οἱ πόρε Φοῖβος Ἀπόλλων i)

Itaque non ſolum ad futurorum praeſenſionem, ſed etiam ad notitiam praeteritorum pertinuit divinatio; neque dubitari poteſt, quin in ejusmodi vatum oraculis non tam valuerit furentium temeritas, quam prudentum virorum ratio et conſilium Deorum auctoritate confirmatum et quaſi ſancitum.

Mente enim divina incitati cum oracula funderent, inviti nil aliud protulerunt, quam quod vitae ſapienter actae experientia optimum eſſe ipſos docuiſſet.

---

e) Il. II. 130.
f) Il. X. 275. XII. 205. Odyſſ. XV. 160. ibid. 525.
g) Il. II. 10. XXIII. 65. Odyſſ. XIX. 535. IV. 840.
h) Od. XIV. 327. Il. IX. 405. XVII. 408. Odyſſ. XI. 100.
i) Il. I. 70 — 72.

Tales igitur viri cum rebus publicis et rebus domesticis administrandis, bellis gerendis, exercitibus ducendis, classibus mittendis adhiberentur; nonne patet, divinationem ad prudenter instituendam vitam multum valuisse?

Homerus ipse hoc confirmat. Multa enim apud eum occurrunt exempla, unde patet, vates auctoritate sua prudentissime ad populos regendos usos esse.

At vero, quod non est pratermittendum, vatibus non fides habetur plane superstitiosa. Quotiescumque enim consilium dant, quod aut rationi aut studiis hominum repugnat, repudiantur. k) Multos heroas vatum oraculis invitis Trojam petivisse, Homerus narrat, l) atque Polydamanti praelium committere vetanti quid respondet Hector? m)

„Equidem, inquit, non curo aves, sive dextrorsum, sive sinistrorsum volent. Unum valet omen, patriae salutem tueri."

Quae hujusque disputavimus, eorum summa huc redit: Opiniones de Deorum gubernatione ab Homero celebratae multum valuerunt ad prudentiam hominum promovendam. Insitum enim erat priscis illis hominibus, vitae omnis et actionis causam et principium esse in ipsis

---

k) Od. I. 415.
l) Il. II. 830. Il. XI. 332.
m) ibid. Il. XII. 243.

non in Diis; quaecunque faciant, aut patiantur, eorum auctores esse ipsos, Diis nil aliud facientibus, quam ut adjuvent, ut opem ferant; hanc opem non ferre nisi strenuis, fortibus, gnavis, ignavos vero, et inertes contemnere. Etiam divinationem adhibentes et oracula consulentes non plane abhorruerunt a ratione.

Haec omnia congruunt iis, quae Homerus de aetatis suae hominum moribus narravit,

Cum enim divinum poetam legentes cum priscis illis familiaritatem quandam contraximus, conciones eorum adimus, iis labores et pericula subeuntibus comitamur, confabulationes eorum audimus, nunquam non vigentes, strenuos, prudentes, sollertes eos videmus. Orationes, quas habent, refertae sunt gravissimis sententiis, undecunque exempla desumta, quae tuentes sequantur aut fugiant.

Caput ſecundum.

De fortitudine.

Fortitudo cernitur in animo elato, laboribus et periculis invicto, eaque efficit, ut conſtanter et patienter vitae caſus toleres, neque fortunae ſuccumbas.

Huic virtuti poetica Homeri religio obfeciſſe videtur ob ſummam quam tribuit Diis potentiam. Quae ſi in Deorum numine conjuncta eſt cum ſapientia, juſtitia, benignitate, nil eſt, quod magis aflictos erigere, miſeris ſolatium afferre, trepidantibus animum adjicere poſſit. Verum enimvero ſi, quod cadit in Deos Homericos, cum inhumanitate et malignitate conjuncta eſt: non poteſt non metu ſemper et angore animos hominum ſuſpenſos tenere.

Quanta potentia Dii apud Homerum ſint, nemo ignorat.

Equidem hoc loco non faciam mentionem niſi aut Jovis, quem poeta canit multas urbes et evertiſſe et everſurum eſſe: in ipſo enim eſſe ſummam potentiam n);

n) Il. II. 117.

aut Neptuni, qui tridenti terribili mare et terram quatiat o), aut Apollinis, qui muri exſtructi molem projiciat ſicuti puerulus arenae acervum. p)

Non poſſe fieri videtur, quin, qui talium Deorum dominationi ſubjectus ſit, is omnem animi fortitudinem amittat, ſemper pavore et trepidatione perturbetur.

Tres vero exſtant cauſae, cur rem apud Homerum aliter ſe habere inveniamus.

Primo: Quae Diis tribuitur potentia, corporis robur eſt magis quam vis, ut ita dicam, ad totam eorum naturam pertinens. Ulyſſes v. c. Marti non minus praeſtitit prudentia, quam Mars Ulyſſi robore. Cui Deo non poſſent vi obſtare, fugerunt eum aſtutia. Cum igitur quibus virtutibus Dii eſſent deſtituti, eae traducerentur ad homines, aequilibritas ſeu ἰσονομία quaedam inter Deos et homines conſtituta eſt, quae effecit, ut neque illi nimis tollerentur, neque hi nimis deprimerentur.

Deinde ſinguli Dii ſingulis erant ſubditi, univerſi Jovi, Jupiter ipſe fato. Potentia igitur cum varie et diverſe inter diverſos diſtributa eſſet, ſingulorum vis imminuta eſt et fracta.

---

o) Od. V. 291.
p) Il. XV. 361.

Diffidiis laborantes, fibi invicem malas artes ftruentes, aut bello et pugna fe viciffim petentes, non raro advocant mortales in auxilium, ut Minerva Diomedem contra Venerem et Martem armat.

Denique, quod maxime huc pertinet, Dii hominum ope indigent ad bene beateque vivendum. Cum nulla re magis delectarentur, quam nidore naribus ducendo, quam carminibus in ipforum honorem compofitis audiendis, multum eorum intererat, mortalium religione coli, ita ut optime in eos dici poffit, quod apud praeftantiffimum Poetam q) Prometheus in Jovem dixit:

Ich kenne nichts ärmeres
Unter der Sonne als euch Götter.
Ihr nähret kümmerlich eure Majeftät
Von Opferfteuern und Gebetshauch,
Und darbtet, wären nicht Kinder und Bettler
Hoffnungsvolle Thoren.

Sacra, quae homines Diis faciunt, dona, quae ferunt, vota, quae promittunt, funt munera, quae Dii ope ferenda remunerari debent, id quod non rogatur ab iis tamquam beneficium, fed flagitatur tamquam officium, quod fi non fervant, vitio iis vertitur. Minerva ipfa Jovi id exprobrat. Cave inquit ne inique

---

q) Goethe.

agas, quod Ulyſſem, qui tot viſcera tibi cremavit, nunc deſeris, atque Neptuni irae committis. r)

Apparet inde, homines non parere Diis, tamquam ſervos dominis, ſed obſequi tamquam amicis potentioribus, atque profecto cur non ſibi aequales ducant Deos, quibuscum etiam conjugio ſunt conjuncti, ita ut difficile dictu ſit, utrum Aeneas a Venere progenitus, Ulyſſes a Calypſone in matrimonium petitus, inter Deos an inter mortales referendi ſint. Tali religione fortitudo et animi elatio mirifice non augeri non potuit.

Nihil enim erat in tota rerum natura tam ſplendidum, quo homines aſpirare non poſſent; nihil tam horrendum, cui obſtare ſibi non confiderent.

Ergo non miremur temeritatem, qua Diomedes Martem et Venerem vulneravit, s) quo Ulyſſes Cyclopem irriſit, qui caecatus facile a Neptuno patre ſanari poſſe gloriabatur. t) Ulyſſes inprimis is eſt, qui oſtendit, quid in hominibus, poetica Homeri religione imbutis, virtus et ſapientia poſſit. Quis enim eſt labor, quem ille non ſubiit, quae fortuna, cui ille ſuccubuit, quod periculum, quod non ſuſtinuit, quae calamitas, quam non eſt perpeſſus. Atque quomodo haec omnia pertulit, adverſis rerum immerſabilis undis, ut ait

---

r) Odyſſ. II. 62.

s) Il. V. 348.

t) Odyſſ. IX. 525.

ille? Pugnans contra potentiſſimum Neptuni numen, ipſe omni ope divina deſtitutus. Quae enim olim ei fuerat periculorum et diſcriminum comes Minerva, eum deſeruerat. Aut omnia me fallunt, aut ad tales mores perficiendos poetica Homeri religio non parum valuit.

Caput tertium.

De temperantia.

Temperantia earum virtutum cauſſa eſt et fons, in quibus ornatus quidam vitae cernitur, quae ab agreſti ruditate traducunt mortales ad humanitatem, ut in vita degenda, quid honeſtum, quid decorum, quid verecundum ſit tueantur, hisque contraria fugiant.

Sero admodum hae virtutes excoluntur. Prudentibus enim viris et fortibus, et juſtis nulla gens, quamvis immanis, nulla aetas, quamvis horrida, plane eſt deſtituta. Quae vero ex animo ſedato proficiscuntur virtutes, comitas, verecundia, modeſtia, et hominibus ſingulis et nationibus univerſis ſummum adjiciunt ſplendorem.

Cum igitur demonſtraturus ſim, his quoque heroicorum temporum religionem profeciſſe virtutibus, nonnullos eſſe ſuſpicor, qui me partium ſtudii accuſent.

Quid? Deorum omnis generis libidinibus, amori, vino irae, reliquis animi perturbationibus obnoxiorum cultus ad humanitatem, ad manſuetudinem, ad vitae lenitudinem duxit? Ante oculos nobis conſtituent Jovem, qui Junonem Veneris Zona ornatam conſpiciens ita ejus amore exardeſcat, ut percenſitis, quibuscum concubuit, juret, ſe nunquam ita cupidine flagraſſe u), eundem Jovem, qui ira inflammatus unguibus et pugnis ſectaturum eſſe minitetur eum Deorum, qui Graecis aut Trojanis opem feratv) Martem cum Venere in adulterio deprehenſum reliquis Diis adſtantibus, qui quam vehementer optent ejus loco eſſe, et vultu et oratione declarant. w)

Haec et ſimilia effrenatae libidinis exempla apud Homerum inveniri non nego. At vero animadvertendum eſt, me, cum hoc loco de temperantia verba faciam, non tribuere huic virtuti eam vim, quam philoſophi ſolent, ſed eam, quae ipſi tribuenda eſt apud homines, qui rudem et incultam vitam vix reliquerunt. Apud talem populum Ulyſſi vitio non eſt vertendum, quod dicat, ſibi nil dulcius videri quam totum diem inter fidium ſtrepitum et cantum dulcem epulari x), neque

u) Il. XIV. 315.
v) Il. VIII. 12.
w) Ody. VIII. 340.
x) Ody. IX. 10.

Agamemnoni et Achilli, quod ira inflammati convicia in ſe viciſſim conjiciant. y)

Id unum quaeritur, utrum inhumanitate, ferocia, immanitate, reliquis hujus generis ſordibus depulſis ſe erudire coeperint, mores reddere faciliores, vitam leniorem. Hujus quoque labis maculis nonnumquam foedantur. Summa enim cum temeritate victores clade et calamitate caeſorum ſuperbiunt z) Crudeliſſime urbibus captis mulieres et virgines in ſervitutem redigunt. a) Ferociſſimus Achilles Patrocli manes pueris et puellis mactandis placat. b)

At vero, cum ex altera parte, qui mores domi et foris ſint, diligentius conſideres, quos ſermones inter ſe habeant, quibus jocis utantur, quibus ludis delectentur, multa eaque praeclara humanitatis et comitatis ſpecimina invenies.

Cum Ulyſſe adeamus Phaeaces, atque animadvertamus, quantopere hoſpitum approbationi ſibi conciliandae operam dent.

Pudet eum, ſe virginibus nudum oſtendere. c) Atque ne Nauſicaa apud vulgus in reprehenſionem incidat, parens ejus monitis longo intervallo ipſam ſe-

---

y) Il. I. 225.

z) Il. XVI, 745.

a) Il. I. 370. et ſexcenta alia loca.

b) Il. XVIII, 175.

c) Ody. VI. 221.

quitur. d) Hanc ob verecundiam laudat eum Alcinous dicens, ἀμείνω αἴσιμα πάντα. e) Poſtridie, cum Demodoci cantu Ulyſſes afflictus eſſet, f) Alcinous vatem pergere vetuit, ne hoſpiti nimiam moveret triſtitiam. g) Ejus hilarandi cauſa ludos gymnicos fieri jubet, pugilatum, luctationem, ſaltum, curſum. h) Euryalo contumelioſe Ulyſſem ad certamen provocanti, hic ſubiraſcitur quidem, i) ſe ad certamen paratum eſſe ferens, tamen fas eſſe negat, cum Laodamante hoſpite manus conſerere. k) Non multo poſt donis ferendis Euryalus in gratiam cum eo redit. l)

Tales mores et conſuetudines, num ſunt hominum rudium, agreſtium, humanitatis expertium? Eadem comitas, idem benevolentiae captandae ſtudium in Telemachi m), Neſtoris n), Menelai o), Eumaei p), confabulationibus apparet.

---

d) Odyſſ. 280.
e) ibid. VII. 310.
f) ibid. VIII. 85.
g) ibid. 101.
h) ibid. 103.
i) ibid. 165.
k) ibid. 210
l) ibid. 405.
m) ibid. I. 125. ſeqq.
n) ibid. III.
o) ibid. IV.
p) Ody. XV. 300.

Cognomina quoque δῖος, διοτρεφής, quibus principes viri honoris causa appellantur, cultioris vitae specimina sunt. Probant enim, ordinum, generis, familiarum discrimen esse factum. Illud quoque huc pertinet, quod Patroclus μείλιχος fuisse saepissime laudatur q), unde patet, opinione hominum morum facilitatem non pugnasse cum animi fortitudine, quam in heroibus faciebant maximi. Quid? quod fortissimus quisque se non indignum putat, mortuos lugere, iisque illacrymari? r) Ne ab armorum quidem strepitu et proeliorum tumultu abhorruit verecundia quaedam et humanitas. Orationes enim habere solent propugnatores antequam manus conserant. s)

Quomodo igitur (id enim explicare nobis est propositum) ad humanitatem illam, qua ornatos videmus eos, quorum mores describit Homerus, efficiendam valuit religio? Nulla re magis, ut mihi quidem videtur, quam quod caeremoniae, quibus Deos colunt, non sunt tristes, sed hilares; deinde quod eaedem artibus originem dederunt, et auctoritatem addiderunt, quibus nil magis valet ad mores emolliendos.

Apollinis irae placandae causa num faciunt Graeci id, quod in multis aliis gentibus gravi sub religione oppres-

p) Il. XVII. 671.
r) Il. VII. 426.
s) Il. VI. 122.

ſis fieri videmus, ut triſtes et moeſti aras Dei adeant, abſtinentia potus et cibi, corporis cruciatu, plorando, ejulando piaculum avertant? Minime — ſed vino ſundendo, pinguedine incendenda, cantu et fidium ſtrepitu. Totum diem epulantur, jocantur, rident. t)

Haec ſunt ſacrificia, quibus Deum ſibi propitium reddunt. Eadem hilaritas regnat in ſacris, quae Neſtor Minervae et Neptuno facit. u) Ne ab inferiis quidem ludi abhorruerunt. v)

Niſi humani generis naturam plane ignoro, religiones, quae triſtes homines et moeſtos reddunt, eaedem malevolos et inhumanos; quae vero ad hilaritatem et laetitiam invitant, eaedem ad manſuetudinem et vitae lenitudinem ducunt.

Deinde caeremoniae, quibus Deos colebant, artibus originem dederunt, quibus nil magis valet ad mores emolliendos.

Artes liberales, quae maxime ad humanitatem pertinent, poetica ars, et muſica, et ſaltatio, etiam texendi, ſculpendi, aedificandi artes Homeri tempore floruerunt apud Graecos. Aedes Alcinoi w), Menelai x), alio-

t) Il. I. 472.
u) Odyſſ. III. 3. ibid. 450.
v) Il. XXIII.
w) Odyſſ. VII. 85.
x) ibid. IV 45.

rum regum ſplendidiſſimae erant. Scuta, galeae, loricae, ocreae, fibulae elegantiſſime erant ſculpta.

Multa memorantur praeclara artificia ex auro, ebore, argento confecta.

Saltatio apud Phaeaces ſummo in honore fuit, iisdem, ſicuti ſponſis Penelopae, quotidie dulciſſima et ſuaviſſima carmina canebantur.

Patet, ad omnes illas artes promovendas religionem multum valuiſſe.

Delubris enim exſtruendis, donis, quae Diis ferrent, elaborandis, carminibus in ipſorum honorem componendis, non ſolum auctoritas addita eſt illis artibus, ſed etiam ſanctitas quaedam, qua ſtudium eorum, qui iis operam darent, aleretur.

Cauſa, cur hae artes tanta apud Graecos fuerint vi, erat in religione. Florent enim et ſplendent, quaecunque ad religionem pertinent; unde factum eſt, quod poetae et vates apud Graecos majori in honore fuerunt, quam apud quemquam alium populum. Cum enim, quae funderent carmina, a Muſis ipſis incitati canere putarentur, ſacroſancti erant. Quae ſacro furore correpti pectore funderent carmina, non ſolum aures audientium delectaverunt, ſed etiam animos ſanctiſſima religione imbuerunt. Jucundiſſima quaeque erant maxime divina.

Quae vero religio ex his artibus omnem ſplendorem, omnem ornatum, omnem denique vim et auctoritatem

ritatem petit, non poteſt dubitari, quin eadem ad vitae lenitudinem morumque facilitatem homines ducat.

Caput quartum.

De juſtitia et fide.

Juſtitiae vocabulo hoc loco non tribuo eam vim, qua latiſſime patens omnes comprehendit virtutes, quibus ſocietas hominum et vitae communitas continetur, ſed arctiorem, qua non comprehendit niſi ea officia, quae dicuntur perfecta, ſine quibus nulla ſocietas iniri aut ſtabiliri poteſt. Pietas erga parentes, liberos, propinquos, affines, amicitia et patriae caritas, quae omnia apud Homerum vigent, non potuiſſent excoli, niſi quaedam juſti et injuſti, legitimi et inlegitimi notiones tamquam juris principia jacta eſſent. Religio cum illas notiones ſtabiliverit, manifeſtum eſt, eandem et liberalitati et beneficentiae viam muniviſſe. Quae enim ſocietas conſtitui poteſt, niſi nefarium ducitur, illaceſſitum alios injuria afficere, niſi dictorum conventorumque conſtantiam et veritatem atque jurisjurandi ſanctitatem homines tuendam eſſe putant.

Quaerendum eſt igitur, utrum poetica Homeri religio haec, quae diximus juris principia, conſtituerit.

Contra eos, a quibus violati essent, sive hostes essent, sive privato odio adversarii, nullum est injuriarum genus, quin sibi concessum arbitrarentur; — id, quod e sexcentis locis apparet. Atque tantum abest, ut eam ob causam in hominum reprehensionem incurrant, ut etiam glorientur de injuriis, quas inimicis intulerint. Ulyssem certe non pudet fingere, se Orsilochum, qui praeda Trojana ipsum privare voluisset, occidisse. y)

Homicidae fugam quidem capessere solent z), non quia infame putatur, adversarium occidere, sed metuentes vindictam propinquorum percussi. Qui si redemtionis pretium accipere volunt, homicida tutus eo loco manet, quo crimen commisit. a) Ne piratarum quidem vita turpis erat. b) Peregrinos enim armatos pro hostibus habebant.

Quemadmodum autem quodvis scelus concessum erat injuriae aut arcendae aut ulciscendae causa, nefas erat, alios violare, a quibus non essent laesi. Si quis illacessitus aliis nocuisset, Diis et hominibus invisus erat. Haec est causa, cur Telemachus in gravissima oratione, quam ad Ithacenses habuit, sponsos exsecra-

---

y) Odyss. XIII. 260.
z) ibid. XV. 224. et IX. 630.
a) Il. XVIII. 498.
b) Odyss. III. 73.

retur. c) Atque cum Ulyſſes, quotiescunque novum hominum genus adiit, exclamat:

Ὤ μοι ἐγώ, τέων αὖτε βροτῶν ἐς γαῖαν ἱκάνω;
ἦ ῥ' οἵγ' ὑβρισταί τε καὶ ἄγριοι, οὐδὲ δίκαιοι,
ἦε φιλόξεινοι, καί σφιν νόος ἐστὶ θεουδής. d)

hoc quaerit, utrum ſint homines, quibus communis humani generis ſocietas ſancta ſit, an tales, qui non dubitent, aliis, a quibus injuriam non acceperint, vim inferre. Eandem ob cauſam hoſpites et ſupplices ſacroſancti erant. Illos fratrum inſtar habebant e), hos donis ornatos et auctos dimittere ſolebant. f)

Etiam fidem non modo civi, ſed etiam hoſti datam fallere ſcelus erat et piaculum. Itaque foederibus et pactis faciendis caeremoniae maxime ſolennes et religioſae adhibebantur, g) quibus diras in foedifragos imprecarentur. In quo id quidem mirabile poteſt videri, etiam Deos jurejurando ſe adſtringere. Cum enim jusjurandum nil aliud ſit, quam teſtimonium aut promiſſum, Deorum invocatione confirmatum: quomodo id in Deos cadere poteſt, ut per ſe ipſos jurent? At vero animadvertendum eſt, jurari per Deos infe-

---

c) Odyſſ. II. 66.
d) ibid. VI. 120. — 123.
e) ibid. VIII. 545.
f) ibid. IX. 268.
g) Il. III. 275 — 300.

ros, quibus fuperi Dii quodammodo effent obnoxii. Itaque aeque atque homines perjurii graviffimas dant poenas, id quod ex Hefiode patet, h) neque eft cur miremur Jovem cum a Junone deceptus Euryftheo regnum conceffiffet, idque jurejurando confirmaffet, non aufum effe id frangere, fed potius Aten, quae ipfum in errores induxerit i) Olympo dejeciffe. Tanta erat jurisjurandi auctoritas, ut ne Dii quidem eam impune violarent.

His igitur juris fundamentis Homeri tempore focietates, fatis bene temperatas, fuperftructas videmus. Ulyffe quidem abfente Ithacenfium populus non eft convocatus, neque quisquam erat, qui fponforum improbitati frena injiceret. k) Ubi autem reges adeffent, ab injuriis inferendis arcebantur cives. Non enim per vim, fed per difceptationem certare debebant; atque in judiciis ferendis jus pervertere fummum erat nefas.

Ut intelligatur, quatenus religio ad juftitiam et fidem ftabiliendam valuerit, animadvertendum eft, omnis illorum temporum religionis hoc effe principium.

Diis immortalibus facere licet, quaecunque libet; iidem vero peccatorum poenas fumunt non folum ab

---

h) Hefiodi theog. — —
i) Il. XIX. 100.
k) Odyff. II.

iis, qui ea commiſerunt, ſed etiam ab eorum poſteris aut amicis.

Non videtur alienum excerpere ex Homeri carminibus verſus, qui huc pertinent.

Videatur

Il. XVI. 384 — 388.

ὡς δ' ὑπὸ λαίλαπι πᾶσα κελαινὴ βέβριθε χθὼν
ἤματ' ὀπωρινῷ, ὅτε λαβρότατον χέει ὕδωρ
Ζεύς, ὅτε δή ῥ' ἄνδρεσσι κοτεσσάμενος χαλεπήνῃ,
οἳ βίῃ εἰν ἀγορῇ σκολιὰς κρίνωσι θέμιστας,
ἐκ δὲ δίκην ἐλάσωσι, θεῶν ὄπιν οὐκ ἀλέγοντες.

Non ſolum in hac vita, ſed etiam poſt mortem facinoroſos homines manet poena.

Audiamus Agamemnonem:

Il. XIX. 258 — 260.

Ἴστω νῦν Ζεὺς πρῶτα, θεῶν ὕπατος καὶ ἄριστος,
Γῆ τε καὶ Ἠέλιος καὶ Ἐριννύες, αἵθ' ὑπὸ γαῖαν
ἀνθρώπους τίνυνται, ὅτις κ' ἐπίορκον ὀμόσσῃ.

Cum in Olympo Aegiſthi mentio fit, Minerva dixit:

Odyſſ. I. 46 — 47.

καὶ λίην κεῖνός γε ἐοικότι κεῖται ὀλέθρῳ·
ὡς ἀπόλοιτο καὶ ἄλλος, ὅτις τοιαῦτά γε ῥέζοι!

Telemachus, poſtquam publice vehementiſſime invectus eſt in ſponſos, hoc adjecit:

Odyff. II. 143. — 145.

ἐγὼ δὲ θεοὺς ἐπιβώσομαι αἰὲν ἐόντας,

αἴ κέ ποτε Ζεὺς δῶσι παλίντιτα ἔργα γενέσθαι.

Idem civium opem contra fponfos implorans, haec facit verba:

Odyff. II. 66 et 67.

θεῶν δ' ὑποδείσατε μῆνιν,

μήτι μεταστρέψωσιν ἀγασσάμενοι κακὰ ἔργα.

Ulyffes ferum et immanem Cyclopem ad benignitatem adhortans, hoc utitur argumento:

Odyff. IX. 269 — 71.

ἀλλ' αἰδεῖο, φέριστε, θεούς. ἱκέται δέ τοι εἰμέν.

Ζεύς δ' ἐπιτιμήτωρ ἱκετάων τε, ξείνων τε,

ξείνιος, ὃς ξείνοισιν ἅμ' αἰδοίοισιν ὀπηδεῖ.

Idem, cum a Phaeacibus fe deceptum effe falfo putat, exclamat:

Odyff. XIII. 213 — 214.

Ζεὺς σφέας τίσαιτο ἱκετήσιος, ὅς τε καὶ ἄλλους

ἀνθρώπους ἐφορᾷ, καὶ τίνυται, ὅστις ἁμάρτῃ.

Eodem animo eft Eumaeus, cum de fponfis dicat:

Odyff. XIV. 82 — 84.

οὐκ ὄπιδα φρονέοντες ἐνὶ φρεσὶν, οὐδ' ἐλεητύν.

οὐ μὲν σχέτλια ἔργα θεοὶ μάκαρες φιλέουσιν,

ἀλλὰ δίκην τίουσι καὶ αἴσιμα ἔργ' ἀνθρώπων.

Atque Ulyſſi, qui quamvis poenam ſubiturum eſſe profitetur, ſi mentitus ſit, quid reſpondet Eumaeus?

Odyſſ. XIV. 402 — 406.

ξεῖν', οὕτω γάρ κέν μοι ἐϋκλείη τ' ἀρετή τε
εἴη ἐπ' ἀνθρώπους ἅμα τ' αὐτίκα καὶ μετέπειτα,
ὅς σ' ἐπεὶ ἐς κλισίην ἄγαγον, καὶ ξείνια δῶκα,
αὖθις δὲ κτείναιμι, φίλον δ' ἀπὸ θυμὸν ἑλοίμην·
πρόφρων δή κεν ἔπειτα Δία Κρονίωνα λιτοίμην.

Dii ſpecie humana induti deſcendunt in terram, ut videant, qui pie et religioſe vivant, qui minus.

Odyſſ. XVII. 485 — 487.

καί τε θεοὶ ξείνοισιν ἐοικότες ἀλλοδαποῖσι,
παντοῖοι τελέθοντες, ἐπιστρωφῶσι πόληας,
ἀνθρώπων ὕβριν τε καὶ εὐνομίην ἐφορῶντες.

Pars posterior.

De beatitudine.

Cum in priori disputationis parte ostendimus, poeticam Homeri religionem honestati non modo non obfecisse, sed etiam profecisse; in hac parte quaerendum est, quae vis ipsi fuerit ad beate vivendum.

Casus vitae, quorum non ipsi essent auctores, partim a fato, partim a Diis sibi ordinari opinabantur. Non ignoro, esse viros doctos, qui fatum apud Homerum regnare negent. a)

Equidem omnibus locis carminum Homeri, quae huc pertinent, diligenter collectis, et inter se comparatis, nonnullas invenisse rationes mihi videor, cur ab iis dissentiam. At vero cum rarissime fati mentio fiat, a proposito nostro alienum erit; de fato disputationem hoc loco inferere, praesertim cum rerum humanarum gubernatio ad Deos multo magis pertineat, quam ad fatum. Itaque eam ad calcem hujus libelli rejeci.

Quae hominibus aut bene aut male eveniunt, iis Dii intersunt, aut praesentiis aut ostensis portentis, insom-

a) Bibliothek der schönen Wissenschaften. XXXVI. Band I. Stück.

niis apparentes. Haec eſt cauſa, cur ſine ulla fere temporis intermiſſione homines Diis attentionem adhibeant, cur ſacer quidam horror penitus pectoribus inſitus haereat.

Quaecunque aſpectu paulo mirabiliora ipſos offenderent, urbs delubris referta, vallis amoena, lucus opacus, fons perennis, homo egregia forma indutus, tempeſtas, turbo, imber, procella: — haec omnia ſanctiſſima religione hominum animos imbuere ſolebant.

Inde eſt precum et ſacrorum frequentia, quae et graviſſimis et leviſſimis rebus adhibent; atque tanta ſanctitate preces pectore effundunt, aras adeunt, ut, cum Homeri carmina legas, invitus in religioſum illum furorem rapiaris.

At vero qualis tandem fuit illa pietas, atque unde profecta eſt? Magnum enim intereſt, utrum Deos prae metu, an prae admiratione adores.

Cum Dii omnium bonorum et malorum auctores eſſent, hominum animi affectio in eos erat in univerſum metus, — id, quod patet e cognominibus Deorum, quae, quam terribiles ſint, declarant, non quam venerabiles.

Iidem vero, qui potentia terrent, humanitate cari mortalibus ſunt. Placabiles enim ſunt b) et miſeri-

---

b) Il. IX. 497.

cordes. c) Quos diligunt, iis opem ferre ſolent, etiam cum detrimento ſuo. d)

Talibus igitur moribus cum Dii uterentur, metus ille ipſorum, quo tenebantur homines in rebus dubiis, tum cum proſpere aliquid ipſis eveniſſet, abiit in fiduciam, familiaritatem, pietatem. Quis eſt tam durus, quin intime moveatur precibus illis ſanctiſſimis, quibus aerumnoſus Ulyſſes aequoribus tranatis ſe commendat tutelae fluvii?

Odyſſ. V. 445. — 450.

Κλῦθι, ἄναξ, ὅτε' ἐσσί' πολύλλιστον δέ σ' ἱκάνω,
φεύγων ἐκ πόντοιο Ποσειδάωνος ἐνιπάς.
αἰδοῖος μέν τ' ἐστὶ καὶ ἀθανάτοισι θεοῖσιν,
ἀνδρῶν ὅστις ἵκηται ἀλώμενος, ὡς καὶ ἐγὼ νῦν
σόν τε ῥόον, σά τε γούναθ' ἱκάνω, πολλὰ μογήσας.
ἀλλ' ἐλέαιρε, ἄναξ, ἱκέτης δέ τοι εὔχομαι εἶναι.

Quanta familiaritas fuerit inter homines et Deos ipſis propitios, nullo loco magis apparet, quam libro decimo tertio Odyſſeae, quo inducitur Minerva, quae induta virginis venuſtiſſima forma, cum Ulyſſe deliberat de excidio ſponſis parando. Conferatur ejusdem Minervae dulciſſimum colloquium cum Neſtore, ad quem Mentoris perſona praedita venit, cum eoque humaniſſi-

c) Il. XII. 179.
d) ibid. V. 315.

me confabulata eſt, donec hirundinis ſpeciem induens, per caminum evolaret.

Stuporem, quo tale tantumque miraculum aſpexit ſenex, ſupra Telemachi caput palmas pandens in has fauſtiſſimas preces fudit.

Odyſſ. III. 375:

Ὦ φίλος, οὔ σε ἔολπα κακὸν καὶ ἄναλκιν ἔσεσθαι,
εἰ δή τοι νέῳ ὧδε θεοὶ πομπῆες ἕπονται.
οὐ μὲν γάρ τις ὅδ' ἄλλος Ὀλύμπια δώματ' ἐχόντων,
ἀλλὰ Διὸς θυγάτηρ ἀγελείη Τριτογένεια,
ἥ τοι καὶ πατέρ' ἐσθλὸν ἐν Ἀργείοισιν ἐτίμα.
ἀλλά, Ἄνασσ', ἴληθι, δίδωθι δέ μοι κλέος ἐσθλὸν
αὐτῷ, καὶ παίδεσσι, καὶ αἰδοίῃ παρακοίτι.

Effici videtur iis, quae diſputavimus, ut qui beati eſſent, religione et pietate etiam beatiores fierent, referentes vitae proſpera ad Deorum benignitatem. Cariora enim et gratiora hominibus eſſe ſolent, quae ipſis donantur, quam quae fors iis obtulit.

Verum enim vero miſeris et calamitate oppreſſis eadem religio nullum aperuit perfugium, nullum dedit ſolamen. Quamquam enim Jupiter in Deorum concilio neget, miſeriarum humanarum auctores eſſe Deos, e) tamen id ſexcentae fabulae de ipſis pervulgatae docent, id, quod mala vitae vehementer praegravavit. Ita

---

e) Odyſſ. I. 32.

enim a natura comparati ſumus, ut multo aegrius et impatientius feramus, quae aliorum invidia nobis contraxit mala, quam quae neceſſitas nobis impoſuit. Injuriae enim adjicitur contumelia.

Quid ergo? Caditne hoc in Deos Homericos? In rebus humanis gubernandis non ſequuntur conſtanter rationem, ſapientiam, juſtitiam, ſed ſaepiſſime temeritatem, crudelitatem, ſuperbiam. Ut pueri petulantes utuntur muſcis, ſic Dii hominibus. Occidunt eos pro ludibrio. Cui non correpunt membra pavore, cum Jovem et Junonem colloquentes audiat.

Concedas, inquit haec, irae meae Trojam, equidem tibi remunerabor tres mihi cariſſimas urbes, Argum, Spartam et Mycenas, quas evertas quandocunque tibi libet. f)

Neptunus Cyclopis obcaecati poenas ſumſit ab Ulyſſis ſociis innocentibus, neque prius ira abſtitit, quam maximam eorum partem perdiderit. f)

Eadem crudelitate Helius perſequitur Ulyſſis ſocios, qui fame enecti ſacris bubus in Sicilia manus intulerant. Minitatur, fore, ut in mare demerſus mortuis luceat, niſi Jupiter ſibi permittat, ut miſerorum interitu irae ſatisfaciat ſuae. Quod eo atrocius eſt, cum

f) Il. IV. 50.
g) Odyſſ. IX. 536.

Dii Ulyssem fatali somno sopientes criminis illius auctores essent. h)

Animadvertendum est enim, Deos non raro homines in errores inducere, et ad crimina committenda pellicere, ut ipsos puniant. Optime igitur in illos dici potest, quod apud praestantissimum poetam i), quem antea laudavi, furibundus citharista dicit:

Ihr himmlischen Mächte,
Ihr stofst uns in das Leben hinein,
Und lafst den Armen schuldig werden;
Dann überlafst ihr ihn der Pein:
Denn alle Schuld rächt sich auf Erden.

Haec est perfidia Minervae, quae Jove auctore Pandarum ad foedus frangendum hortatur, ut Trojani jurisjurandi violati gravissimas poenas luant. k) Haec est Jovis perfidia, quae Agamemnonem insomnio deciperet. l) Saepe homines mente privant, ut atrocissima et maxime nefaria quaeque committant eorumque poenas dent. m)

Quae cum ita se habeant, nemo non videt, Jovem, cum quae sit humani generis conditio, secum reputet, recte dicere:

---

h) Odyss. XII. 371.
i) Goethe.
k) Il. IV. 93.
l) ibid. II.
m) ibid. XIX. 88.

οὐ μὲν γάρ τί πού ἐστιν ὀϊζυρώτερον ἀνδρὸς
πάντων, ὅσσα τε γαῖαν ἔπι πνείει τε καὶ ἕρπει. n)

Calamitatibus oppreſſi, acerbiſſimas querelas de forte ſua pectore effundere ſolent. o) Nihil enim habent, unde miſeriarum ſolatium petant, quippe quae ne morte quidem terminantur, ſed etiam in Orco perdurant.

Quas enim alii poetae tradiderunt fabulas de inſulis fortunatis, quo poſt mortem deferantur eorum animi, qui ſancte religioſeque vixerint, earum Homerus non facit mentionem. E libro enim undecimo Odyſſeae apparet, non ſolum injuſtos homines et impios in Orco miſeraos eſſe poenis, quas dent, ſed etiam optimum et praeſtantiſſimum quemque vitam deſiderare.

Vagitus animarum ingens ſtatim in primo limine, imaginum pallor, umbrae exſangues, querelae, luctus fletus eorum, quibuscum colloquitur Ulyſſes: — haec omnia, quae congeſſit Homerus in Orci deſcriptionem, monſtrant, quam horribilis fuerit, et quam recte dicat Eurylochus:

πάντες μὲν στυγεροὶ θάνατοι δειλοῖσι βροτοῖσι. p)

At vero, quamquam religio illius aetatis non tollit mortis terrorem, tamen non invenimus, homines eo angi. Cauſa haec eſſe videtur, quod phantaſiae et ſen-

---

n) Il. XVII. 446.
o) ibid. X. 15.
p) Odyſſ. XII. 341.

ſuum vi oppreſſi non niſi iis, quae adſunt, officiantur, incurioſi eorum, quae magis remota videntur.

Omnis noſtrae diſputationis ſumma huc redit:

Heroicorum temporum religio non impedimento fuit hominibus, quo minus honeſte viverent, eadem vero nihil attulit, quo vitae mala levarenter, mortisque terror tolleretur.

Epimetrum.

De fato. n)

Hanc de fato disputationem ita pertractabo, ut primo afferam argumenta, unde negandum esse videtur, Deos fato subditos esse, deinde ut alia afferam, quibus contrarium efficitur.

I. Argumenta, unde negandum esse videtur, Deos fato subditos esse.

1. Vocabula *κὴρ* Μοῖρα, *αἶσα*, *πότμος*, *πεπρωμένον* in plerisque, quibus occurrunt locis, non significant fatum, sed aut simpliciter mortem, aut pertinent ad ea, quae fortuito eveniunt, aut ad ea, quae Deorum voluntate constituta sunt.

a) Vid. Il. II. 302. XI. 263. 332. XII. 113. 116. XIV. 462. XVI. 817. XVIII. 115. Odyss. III. 242. XVII. 326.

In

n) Praeter laudatam pag. 40. de fato disputationem Vid. Harlesii dissertatio de theologia, fato, et Jove Homeri in Opusculis varii argumenti.

In omnibus his locis illa vocabula significant simpliciter mortem, nulla fati notione adjecta.

b) Vid. Il. V. 209. XV. 274. XXI. 495.

In his versibus utitur vates vocabulis ἄισα et αἴσιμον de rebus fortuitis.

c) Vid. Il. II. 155. VIII. 477. IX. 604. XVII. 321. XX. 30. 302. 336. Odyss. I. 35. V. 436. IX. 532.

In his locis illa vocabula significant ea, quae Deorum voluntate constituta sunt.

2. Jovi tribuuntur cognomina, unde patere videtur, summam in ipso fuisse sententiam.

Vid. Il. I. 544. II. 117. 669. VIII. 32. XV. 108. Odyss. V. 104.

II. Argumenta, quibus evincitur, Deos fato quodammodo esse subditos.

1. Cognomina Jovi tributa non probant, quod probare videntur, nil ipso fuisse superius. Aliis enim numinibus similia tribuuntur cognomina, nocti v. c., quae appellatur θεῶν καὶ ἀνδρῶν δμήτειρα o) aut somno, quem Juno alloquitur

Ὕπνε, ἄναξ πάντων τε θεῶν, πάντων τ' ἀνθρώπων p)

Deinde Jovis vim et potentiam circumscriptam esse e pluribus locis apparet. Aliquando in eo erat, ut a

---

o) Il. XIV. 259.

p) ibid. 233.

reliquis Diis vinciretur, nisi Thetide auctore Briareus ipsi opem tulisset. q) Non potest prohibere, quin columbarum, quae ipsi quotidie ambrosiam apportant, alteram rupes natantes rapiant. r) Fulmen, et tonitrum, quibus maxime gloriaretur, non debebat sibi, sed Cyclopibus s), qui memores hujus beneficii ipsum vilipendunt, et contemnunt. t)

οὐ γὰρ Κύκλωπες Διὸς αἰγιόχου ἀλέγουσιν,
οὐδὲ θεῶν μακάρων· ἐπειὴ πολὺ φέρτεροι εἰμέν.

Ipso invito Prometheus coelo ignem abstulit. u) Neptunus superbiam ei exprobrans, haec facit verba: (v

ἀλλὰ τόδ' αἰνὸν ἄχος κραδίην καὶ θυμὸν ἱκάνει,
ὁππότ' ἂν ἰσόμορον καὶ ὁμῇ πεπρωμένον αἴσῃ
νεικείειν ἐθέλῃσι χολωτοῖσιν ἐπέεσσιν.

Imperium quoque paternum non esset nactus, nisi fato constitutum fuisset, ut Saturnus a filio necaretur. w)

2. Etiamsi nulla alia exstaret ratio, qua efficeretur id, quod volumus, sola de Achille fabula id probaret.

---

q) Il. I. 404.
r) Odyss. XII. 63.
s) Hes. theogonia. 141.
t) Odyss. IX. 575.
u) Hes. Opera. etc. 50.
v) Il. XV. 208.
w) Hes. theog. 464.

Quaerendum est enim, sors illa Achilli constituta, ut non nisi praematura morte gloriam consequeretur, neque nisi inglorius ad senectutem perveniret, unde petenda sit, utrum a Jove, an a fato.

Qui Jovi id tribuunt, iis tota de Achille fabula non potest non inepta videri. Quid enim? Is, qui tot in Achillem beneficia congessit, qui injuriae, qua ab Agamemnone affectus esset, ulciscendae causa tot bella movit, cur hac una in re sui erga Achillem amoris obliviscitur, cur Thetis eum ne implorare quidem audet, ut sortem illam mutet, cum praesertim sciat, Deos precibus flecti posse.

καὶ μὲν τοὺς θυέεσσι καὶ εὐχωλῇς ἀγανῇσι,
λοιβῇ τε, κνίσσῃ τε, παρατρωπῶσ' ἄνθρωποι,
λισσόμενοι, ὅτε κέν τις ὑπερβήῃ καὶ ἁμάρτῃ. x)

Numquam hoc facit, neque tam luget praematuram filii mortem, quam mala, quae in brevissima vita ei subeunda sint. Jupiter si esset sortis auctor, totam fabulam vates aliter exornasset.

Verum enim vero animadvertendum est, Homericum fatum plane esse diversum ab eo, quod apud poetas serioris aevi invenimus, idque singula quaeque in vita humana ordinat et constituit. Ter quidem in Homeri carminibus mentio fit Parcarum vitae stamina nen-

---

x) Il. IX. 499.

tium, ſemel in Odyſſea y), bis in Iliade z), quae quidem me non movent. Nam ut repetam, quae in praefatione dixi, de Veterum religione non eſſe dijudicandum e ſingulis vatum effatis; atque heroicorum temporum, qui ſit *χαράκτηρ*, aut plane ignoro, aut, notionem fati ſingula quaeque praefinientis aetate illa homines ne concipere quidem potuerunt. Deinde cum ſecundum illuſtris Wolfii ſententiam plura in poſtremis Iliadis libris occurrant, quae a priſca ſimplicitate reliquarum rhapſodiarum recedant, aliamque aetatem redoleant; illud pertinere videtur ad hos verſus: ſicut ad fabulam de doliis, unde Jupiter hominibus diſtribuit, quaecunque iis aut proſpere aut miſere eveniant. Quomodo autem Odyſſeae locum ſententiae accomodem meae neſcio, niſi quis eum inſititium eſſe putet.

Quae igitur diſputavimus, eorum huc redit ſumma, Homerum ad fatum non referre, niſi ea, quae ita evenerant, ut cur Dii eorum auctores eſſent, nullam rationem probabilem invenire poſſe ſibi videretur. Hectoris igitur nobile vaticinium:

οὐ γὰρ τίς μ' ὑπὲρ αἶσαν ἀνὴρ Ἄϊδι προϊάψει·
μοῖραν δ' οὔτινά φημι πεφυγμένον ἔμμεναι ἀνδρῶν,
οὐ κακὸν, οὐδὲ μὲν ἐσθλόν, ἐπην τὰ πρῶτα γένηται. a)

---

y) Odyſſ. VII. 197.
z) Il. XX. 128. XXIV. 210.
a) Il. VI. 487.

ita interpretor: Diis, inquit Hector, carus ſum; nego, quemquam eorum permiſſurum eſſe, ut quis me ante fatalem interitus diem in Orcum dejiciat. Nil igitur eſt, quod timeam niſi mortem a fato mihi conſtitutam. Hanc autem nemo effugere poteſt, moriendi enim conditione nati ſumus.

Confirmat hanc interpretationem Minerva ipſa. Dicit enim b)

ἀλλ' ἤτοι θάνατον μὲν ὁμοίιον οὐδὲ θεοί περ
καὶ φίλῳ ἀνδρὶ δύνανται ἀλαλκέμεν, ὁππότε κεν δὴ
Μοῖρ' ὀλοὴ καθέλῃσι τανηλεγέος θανάτοιο.

Itaque cum Jupiter deliberet de Sarpedone morti eripiendo c) non deliberatur de ſublatione, ſed de dilatione mortis. Juno quid? inquit, mortalem hominem jamdiu morti devotum ſervare vis? Diſſuadet; fore enim, ut reliqui Dii idem filiis ſuis petant. Non autem hoc ſibi vult, reliquos Deos filiorum immortalitatem petituros eſſe, ſed mortis moram. Maturare enim aut morari mortem penes Deos erat, tollere non erat. Hac quidem parte Dii Homerici Jehova veteris teſtamenti inferiores ſunt. Hic immortalitem hominibus deſtinavit, ipſi eam amiſerunt culpa ſua Jovi quantumvis libeat, non licet immortalitatem cuiquam addere. Apud

---

b) Odyſſ. III. 236 — 238.
c) Il. XVI. 433.

Mosem mors poena est delictorum, quae homines commiserunt, apud Homerum inevitabile malum est.

Pertinent huc etiam lances fatales, quibus Jupiter agminum d) et heroum e) dimicantium vices pensitat. Causa, qua ductus poeta illo figmento usus sit, haec esse videtur. Cum Achilles et Hector, uterque Jovi carissimus, ad depugnandum in certamen prodirent, Homerus neque alterius caedem Jovis irae, neque alterius victoriam Jovis studio tribuere potuit. Causa autem hujus eventi afferenda erat. Inducit igitur Jovem facientem quae homines solent, qui cum de re graviori consilium ceperint, sicut Jupiter de Hectoris nece, tamen re in discrimen adducta, denuo quid sibi faciendum sit, dubitantes, sortem consulant.

Caeterum cum fati rarissime mentio fiat apud Homerum, nil est, quod adjiciam de vi, quae hujus opinionis fuerit ad mores et ad vitam.

---

d) Il. VIII. 69.
e) ibid. XXII. 210.

F i n i s.